



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quomodò Christus quem vt hominem mors vicit, ipse tertia die vt Deus vicit mortem, reuixit & resurrexit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

vicit, ipse tertia die ut Deus vincit mortem, reuixit & resurrexit.

2. In quem fructum et ad quid resurrexit Christus.
3. Quomodo Christi resurrectio exemplar & speculum est nostrae futurae resurrectionis.



1.

Christum esse verè filium Dei, declarat apertè resurrectio eius, sicuti Apostolus ad Roman. 1. testatur, dicens: Qui prædestinatus, id est, verè declaratus aut demonstratus, filius Dei &c. quia resurrexit à mortuis, quia vicit iterùm mortē. sicut enim mors demonstravit illum verum fuisse hominem, sic resurrectio verum fuisse Deum declaravit: nam resurrectio, donatio Spiritus sancti, Ascensio, & omnia miracula ostendunt eum potētem, & natura esse filium Dei, atque illum Messiam, qui promissus est patribus, Sic 1. Cor. 15. inquit Apostolus: Hoc est Euangelium meū quod prædicamus vobis, quod accepistis, & per quod saluamini, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit tertia die secundum quod scriptura de illo prædixit Psalmo 3. Ego dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi, &c. Hoc Christo ascribitur. Et Psalm. 15. Non derelinques animam meam in inferno, in quem scilicet descendit anima Christi, postquā de corpore eius recessit in cruce. & rursus ibidē, Nec dabis sanctum tuū videre corruptionē, id est, ne Christus in corpore corrūpatur, id est, *verwese*. Et hunc Psalmum citarunt Petrus & Paulus Act. 2. & 13. quandò probant Christi resurrectionem à morte. Petrus Act. 2. inquit: Viri fratres, David cum esset Propheta, locutus est de resurrectione Christi, quia non derelictus est in inferno secundum animam, neque corpus



corpus eius vidit corruptionem in terra. Hunc igitur Iesum Deus resuscitavit à mortuis, cuius nos testes sumus &c. Et Paulus Actorum 13. David prædixit Christum resurrecturum à morte, quando dixit de illo Psalm. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sic Osee 6. Dominus Deus vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, &cæt. Sic Christus cõsolatur omnes fideles de sua resurrectione, quemadmodum facit Matt. 12. de signo Ionæ, & Ioan. 2. Soluite templū hoc, id est, soluetis quidem, sed ego resuscitabo illud in tribus diebus: quasi diceret, Nolite timere, si Iudei hoc meū corpus occidunt: ego resuscitabo illud, & resurgam, sicut omnes testantur Prophetæ & Evangelistæ, & Apostolorum symbolum nos docet, quòd tertia die resurrexit.

2.  
 Secundò, fructum resurrectionis Christi breuiter & optimè describit Apostolus Romano. 4. inquiens: Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter nostram iustitiam: Nostra iustificatio, id est, *rechtfertigunge* / est fructus resurrectiõis, sed hoc sic intelligitur, ex hoc quòd Christus mortuus est atq; passus, sequitur quòd nostra peccata super se accepit, & quòd propter nos passus atq; mortuus est, & iram quam nos meruimus, apud Deum ipse portauit, Esa. 53. ideò dicit Apostolus: Mortuus est pro peccatis nostris. Secundò, quia anima eius in inferno, & corpus eius in morte ac in terra non manet, sed per gloriam Dei patris iterum resurgit à morte, & ex hoc notatur quòd ira Dei finem habet, & quòd nobis remissa sunt peccata. Si enim in morte māsisset & in terra corpus eius, & anima in inferno, & non resurrexisset, tunc notum fuisset quòd nõdum placata esset ira Dei, atque peccata dimissa: sed quoniam resurrexit & viuit, ideò certissimum est signum. quòd satisfactio pro peccatis facta est, & impetrata gratia atque remissio